



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

3. Labor Præceptorum, honos, industria.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Utris ad exemplum, morbiq̄ue intercutis instar:  
 Nil nisi terrenis haustum de facibus unquam  
 Cogitat, annales veterum, dubiamque futuri  
 Temporis ignorat sortem: non ulla latentes  
 Cernere naturas, rerum causasque tueri  
 Cura subit; subjecta oculis vix aspicit, ægrè  
 Palpebras levat hærentes: humore tenaci  
 Lumen habet: surdæ aures, vox languida, sermo  
 Barbarus, obscuro verba interclusa palato &c.

II. (b) Ubi verò stabulatur portentum istud? ubi nascitur & alitur? In putredine, in palustri uligine cum Pythone. Transferas huc illud Jobi de *Behemotie* seu diabolo loquentis: *Sub umbra dormit in secreto calami, & in locis humentibus.* cap. 40. Per calamum intelligit arundinetum, quò latet abdita hæc bellua, quam *Pigritiam* interpretari licet; pigris enim, ignavis, & inertibus meritò pro symbolo applicatur arundo, quæ quolibet vento huc illuc agitur; & quamvis supernè sit cristata, medullâ tamen intus ac fructu caret. Sic desides & socordes aliquando forma corporis, aut generis nobilitate, aut fortunæ adventitijs bonis, veluti cristis superbiunt; quia tamen arundinum instar inconstantes ad nullam veram laudem aspirant, sunt omnium honestarum artium vacui, & in paludibus velut excrementum citò nascuntur, citò defluunt & pereunt. Et benè addit Jobus: *Sub umbra dormit;* hoc enim pigrorum est negotium, *dormire;* in secreto, nempe inter plumas seu calamos.

III. (c) Quid igitur facias, ut hunc Pythonem, Ignaviam aïo, conficias? Opus est jaculis Apollinis, hoc est, varijs industrij Præceptoris hortatibus, reprehensionibus, minis, etiam verberibus (nam mitioribus remedijs in obdurata, & desidiæ veterno oppressa capita plerùmque minùs proficitur) donec *stultitia, quæ colligata est in corde pueri, virgâ disciplina fugetur*, quod monet Sapiens Prov. 22. Quò facit illud Psalmi 67. *increpa feras arundinis*, hoc est, bestias ignavas, ventres pigros, inter arundineta plumarum jacentes, excita, succute, exprobra, exagita, stimula, donec se moveant, & frugi fiant. Quò factò, restant *Ludi*, seu Honores, Pythij, Præceptoribus ac Magistris decernendi. In qua re Antoninus Imp. nobile paradigma grati erga Institutores animi proposuit, dum Magistrorum suorum imagines aureas domi habere, & eorum sepulchra floribus conspergere solebat.

K 2

IV. Py-

(b) Ignavia stratum. (c) Labor præceptoris &amp; honos.